



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitulvm XXXVIII. Procurator.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

elegerunt ad aliquam dignitatem, à Superiore pro ea vice privari possint. Ita aperte colligitur ex cit. c. dudum, prope finem. Quare rectè monent DD. apud Gloss. fin. in cit. c. quamquam, quòd Episcopus alium institueret possit in Abbatem, si Monachi indignum eligant.

6 Dico III. Valde etiam probabile est, quòd eligentes indignum in inferioribus dignitatibus, ipso iure irrita sit, aded vt tota eligendi potestas in alijs non delinquentibus resideat. Colligitur ex c. perpetuæ 7. hoc lib. & tit. & tradit Gl. in c. dudum, ver. in ordinibus, argum. eius textus, in quo electio in Præpositum, quæ à minore & saniore parte Capituli facta erat, dicitur confirmanda: quæ tamen non confirmaretur, nisi alij privati essent.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ Respondetur: Verum esse, quod in c. cum in cunctis, pœna privationis, sicut & suspensionis statuatur tantum contra electores ecclesiæ Cathedralis, non tamen inde per contrarium sensum argumentari licet, in alijs pœnam illam privationis locum non habere: quando oppositum expressè in iure decisum est, videl. cit. c. dudum. Si autem petas: Cur pœna hæc privationis statuatur contra omnes electores indigni; non item pœna suspensionis? Resp. Quia spectatà rei naturà pœna privationis quòdammodo debita est electoribus indigni: tum vt in eo puniantur, in quo deliquerunt: tum quia, saltem pro ea vice, propter præsentem malignam affectionem, non satis dispositi censentur ad bonam, & ecclesiæ vtilem electionem faciendam.

7 TERTIA. Suspendio à beneficijs per triennium intelligitur tantum de ijs, quæ elector possidet in ea ecclesia, quam per indignam electionem offendit. Quamobrem, quod dictum est in c. 1. in fine, hoc lib. & tit. Quòd deficiens in probatione eorum, quæ contra personam electi, postulati, aut prouisi obiecerat, à beneficijs per triennium suspensus esse debeat, similiter de ijs tantum intelligi oportet, quæ in eadem ecclesia obtinet.

## Procurator.

## SUMMARIUM.

*Procuratorem constituere potest appellans contra eum, qui oppugnare vult electionem; debet autem in procuratorio mandato omnia specificè exprimere, qui contra formam, vel personam obijcere vult.*

Qui electionem, postulationem, aut proquisitionem alicuius oppugnare vult, contra eum ad Superiorem appellans, Procuratorem constituere non prohibetur: Sed necesse est, vt in procuratorio mandato omnia specificè exprimantur, quæ seu contra formam, seu contra personam obijcere vult, qui appellat: alioquin procurator admittendus non erit. Debet autem Procurator speciale mandatm habere de præstando corporali iuramento in animas eorum, quorum procurator est, quòd ipsi credant ea, quæ expressa sunt, vera esse, atque probari posse. Quare vides, quòd c. istud declarationem contineat c. vt circa 4. eod. lib. & tit.

## CAPITVLVM XXXIX.

## Si confirmationem.

## SUMMARIUM.

*Cassata confirmatione, aut cassa declaratione aliqua causa, non ideo etiam electio, si canonicè peracta est, cassata est.*

Si cassata confirmationem, ex aliqua causa cassari, aut irritam declarari, non ideo etiam electio, si canonicè celebrata fuerat, irritari debet.

Ratio est: Quia vtile ab inutili non vitiat, si vnum ab altero diuidi possit, vt docet DD. in reg. 37. hoc lib. Neque naturæ rerum congruit, vt accessorio destructo etiam fundamentum corruat; sed fundamento ruente, necesse est etiam accessorium cadere. Arqui electioni, tanquam fundamento, accedit confirmatio: ergo si confirmatio inutilis sit, non